



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXIV. Vtrum ad vincendas singulas graues tentationes contra legem
naturalem, in statu naturæ lapsæ, necessarium sit speciale gratiæ
auxilium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

per est gratia non grauius tentari, iam dictum est, hanc non esse propriam gratiam auxiliantem, de qua loquimur, & ideo non obstante illo fauore verum esse, talem tentationem sic occurrentem vinci per libertatem resistendo sine auxilio gratiae. Et praeterea dictum est, illum fauorem non semper esse beneficium gratiae, sed interdum ex generali providentia cum praesentia Dei provenire. Quod optimè quadrat loco Ambrosij. Et similiter, cum Augustinus quidquid non peccamus Deo tribuit, in hac amplitudine loquitur de beneficio Dei, siue sit beneficium propriae gratiae, siue generalis providentiae. Cuius signum est, quia non solum fidelibus, sed etiam infidelibus dicitur actu conferri hoc beneficium, vt patet ex dicta hom. 23. Et ita intelligenda sunt, quae ex illa recitauimus, neque enim aliter sensum commodum habere possent videntur.

CAPVT XXIV.

Vtrum ad vincendas singulas graues tentationes contra legem naturalem in statu naturae lapsae necessarium sit speciale gratiae auxilium?

Hic tractanda est opinio extremè contraria alteri, quam capite praecedenti impugnauimus: illa enim aiebat, nullam omnino tentationem, etiam in materia morali, & naturali, posse vinci sine gratia; hac verò asserit, nullam esse adeò grauem in tali materia, quae per se, & sigillatim spectata non possit vinci per liberum arbitrium absque auxilio gratiae in statu lapsae naturae, de hac enim praecipue agimus; nam de integra dicemus in capite sequenti. De statu autem in puris naturalibus ferè eadem est ratio, vt saepe dictum est. Hanc ergo sententiam tenuerunt Semipelagiani, vt constat ex Cassiano collat. 13. cap. 14. vbi de tentationibus Iob specialiter loquitur. Et eandem sequuntur aliqui Catholici, diuerso tamen modo, nam Semipelagiani victoriam etiam perfectam talis tentationis, & fructuosam ad vitam aeternam dicebant, obtineri posse per solum arbitrium sine auxilio gratiae, in quo merito damnantur cum Pelagianis: at verò Catholici solum dicunt, posse liberum arbitrium resistere huic tentationi, ita vt non peccet, etiam si in hoc nihil mereatur, absque auxilio gratiae. Et ita tenet hanc sententiam Ruard. art. 7. conc. Luther. §. Tractantur, vers. Hae confirmantur, & Staplet lib. 2. de Iustific. c. 4. & 13. Tribuitur etiam Molinè in concordia quaest. 14. artic. 13. disputat. 19. Sed ille forsitan, non discrepat à communi sententia, vt infra videbimus. Solet etiam allegari D. Thomas 1. 2. quaest. 109. artic. quarto, & octauo, quia in priori dicit, posse hominem implere mandata legis naturalis quoad substantiam actus sine gratia, & quia in posteriori dicit, posse hominem sine gratia vitare singula peccata contra legem naturae. Sed immeritò allegatur D. Thomas, quia in priori loco dicit indefinitè posse hominem praecipua naturalia aliquando seruare, in posteriori verò licet dicat, singula praecipua posse impleri sine gratia, non tamen dicit, in omni occasione, & omni tempore, nec considerat ibi vim tentationis, sed solum qualitatem praecipui, & substantiam actus, & eodem modo loquuntur Thomistae his locis. Magis videtur fauere D. Thomas 1. 2. quaest. 77. artic. 7. & q. 80. artic. 3. quatenus docet, nullam tentationem concupiscentiae, aut daemone tollere libertatem sufficientem ad nõ consentiendum. Sed aliud est loqui de libertate, aliud de absoluta potestate ad resistendum tentationi, vt infra videbimus. Indicat eandem sententiam Richardus in 2. distinct. 28. artic. 2. quaestione 2. & 3. re tamen vera in quaestione 2. solum tractat de euitando peccato per se, & praecise, non spectata vi tentationis, de qua tractat in quaestione 3. & solum

indefinitè concludit, posse hominem sine gratia vincere aliquam tentationem, vt patet ex corpore quaestionis, & ex fine solutionis.

Magis fauet huic opinioni Aegidius in 2. distinct. 28. quaest. 1. artic. 4. post dub. 1. literale ad 1. vbi sic inquit. *Quantumcumque delectatio sensibilibus nobis conaturalis inclinatur ad illius, non obstante huiusmodi inclinatione, si ex toto conatu volumus illa agere, possumus rectè illa facere, sed non omnia, nec diu possumus consistere in tali conatu sine gratianis adiuvante.* Guilieimus etiam de Rubione in eadem distinct. §. *Quantum ad verum non solum ait, posse hominem resistere cuicumque tentationi contra praecipuum negativum sine gratia assistenti, sed etiam sine prima causa generaliter influente, quia ad resistendum tali tentationi satis est non agere, quia non agendo seruatur praecipuum negativum, ad non agendum autem neque concursus generalis necessarius est.* Si quis autem velit positinè resistere, volendo non agere contra tale praecipuum, dicit tunc quidem necessarium esse generalem concursum, non tamen gratiae assistentiam. Vnde idem consequenter sentit de quacunque tentatione contra praecipuum naturale affirmatiuum, ob eandem rationem. Multi etiam Theologi in illa distinct. 28. dixerunt, posse hominem per solas vires liberi arbitrij seruare omnia praecipua naturalia, & vitare omnia peccata illis contraria diu, ac perseueranter, seu collectiuè, vt aiunt, qui profectò merito possunt pro hac sententia citari, tum quia id fieri non potest sine victoria plurium tentationum grauium, quae in diuturno tempore deesse non possunt, tum etiam quia difficilius est longe tempore inter ordinarias tentationes sine peccato viuere, quam vni graui tentationi minori tempore resistere. Quàm verò isti authores decipiantur postea videbimus. Alij etiam Theologi, qui simpliciter dicunt, posse hominem per liberum arbitrium seruare singula praecipua naturalia, & vitare omnia peccata illis contraria diuisim sumpta, licet non coniunctim, solent pro hac sententia allegari, sed de illis infra dicam. Solet deniq; pro hac sententia citari Anselm. lib. de Liber. arbit. cap. 5. & 6. cuius mentem postea expendemus.

Ratio huius sententiae est, quia posita quacunque tentatione graui cum aduerrentia rationis, homo consentiendo peccat mortaliter, si materia etiam grauis sit; ergo potest & physice, & moraliter ex vi liberi arbitrij illi tentationi non consentire saltem non peccando, quod nunc solum intendimus. Probatur consequentia, quia illa potestas in libertate necessaria ad peccandum grauius, includitur. Vnde August. lib. 3. de Liber. arbit. & de Spirit. & Litera c. 3. *Illud (inquit) est in nostra potestate, quod si volumus, facimus.*

Ad rationem hanc responderi solet, posse nos quidem potius, quoties tentamur, non peccare, quia gratia Dei praesto adest, & id possumus simpliciter, & per amicos, vt aiunt, possumus. Hae verò responsio impugnatur, quia gratia non habet necessariam connexionem cum natura hominis secundum se spectata, posset enim condi in pura natura; tunc ergo non haberet paratam gratiam, quia illi non debetur; & supponimus nihil ei dari, nisi quod est debitum, & nihilominus in illo statu haberet libertatem ad peccandum etiam grauius, non obstante quacunque tentatione; ergo etiam tunc haberet libertatem ad non peccandum; ergo etiam haberet potestatem resistendi; at tunc non haberet illam ex gratia, quia tunc non esset illi praeparata; ergo ex vi solius libertatis. Atq; haec ratio eandem vim nunc habet in homine lapsò, si supponamus eum habere inuincibilem ignorantiam gratiae, & per illam nondum esse praeventum, nam ille homo si tentetur, potest simpliciter non peccare, & tamen neque actu habet auxilium gratiae, nec potest aliquid facere, quo illud obtineat, quia non potest se praeparare ad primam gratiam auxiliantem, vt nunc suppono; ergo illa potestas est ex sola libertate.

5.
Confr. 1.
proximam
pugnatio.

Et potest hoc confirmari ex Paulo ad Roman. 1. dicente, gentiles fuisse inexcusabiles, &c. & reddit rationem solum, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; ergo perfectum iudicium rationis naturalis cum libertate voluntatis reddit hominem inexcusabilem, quoties in materia naturali non obstante quacunque tentatione labitur. Vt ibi exponit Chrysost. hom. 3. & docet Iren. lib. 4. contr. Hæres. c. 9. & sentit August. Concion. 25. in Psal. 118. Ergo illud etiam sufficit ad potestatem resistendi, nā si hanc homo non haberet, profectō esset inexcusabilis. Cōfirmatur secundo, quia tentatio non infert voluntati necessitatem quoad exercitum; ergo simpliciter potest suspendere actum; hoc autem sufficit ad vitandam tentationem, saltem quando est contra præceptum negativum. Et quamvis necessarium esset elicere aliquem actum voluntatis, sufficeret naturalis, & iuxta probabilem opinionem sufficeret indifferēs, vel ad summum honestus naturaliter, seu moraliter; sed hic actus potest haberi sine gratia, ut diximus: ergo.

6.
Confrim. 3.

Præterea potest confirmari ex Augustino de Spir. & Liter. cap. 14. & 17. dicente, legem, siue naturalem, siue scriptam positam sine spiritu gratiæ, esse legem peccati, & mortis, quia obligat, non dat vires, neque etiam aufert potestatem peccandi: imō efficitur occasio multiplicandi peccata, quia arbitrium posita lege, per se sufficit ad peccandum, etiā si gratia careat, ut alijs locis Augustinus tradit, præsertim de gratia, & libero arbitrio cap. 2. & cont. duas epist. Pelagianor. cap. 5. epist. 95. & 13. de Civit. cap. 5. Quæ omnia procedunt etiam eo tempore, quo legis observatio est gravis, & difficilis propter tentationes, vel alia impedimenta occurrentia: tum quia tentatio non aufert legis obligationem, tum etiam quia lex non est occasio peccandi, vel virtus peccati, ut loquitur Paulus, quando facile servari potest, tunc enim voluntas sine speciali gratia ad illam observandam sufficit: ergo maxime tempore temptationis fit lex mortis, si spiritus gratiæ desit. Ergo tunc etiam est in homine absoluta potestas ad servandam legem, & non peccandum, & consequenter etiam ad vincendam tentationem, quia nisi hanc potestatem habeat, nec potestatem peccandi habere posset. Accedit, quod homo lapsus iam iustificatus, etiam si non habeat specialem gratiæ motionem potest per solum liberum arbitrium vincere similem tentationem, quia in illo iam est sanata natura per habitualem gratiam: ergo idem poterit absque illa gratia. Probatur consequentia, quia sola habitualis gratia, si actu non operetur, & moveat, non affert, nec minuit difficultatem, quæ in vincenda tentatione intervenire potest.

7.
Confrim. 4.

Quartō confirmatur hæc sententia vulgari argumento, quia homo sæpè propter honorem, vel aliam concupiscentiam humanam libera voluntate, & sine gratia eligit difficiliora, quam sit interdum gravis tentatio, & ita illam difficultatem vincit: cur ergo non ita poterit vincere gravem tentationem contra præceptum naturale. Simile argumentum est, quod hæreticus mortem sustinet, vel pro suo errore, vel etiam pro aliqua veritate Catholica, quam retinet. Unde sicut primum facit sine gratia, ita & secundum: cur ergo non poterit idem facere Catholicus pro eadem Catholica veritate: quod si id faciat, vincet profectō tentationem gravem sine gratia. Ultimo asserri potest argumentum Rubionis supra, quia ad vincendam tentationem gravem, sæpè non est necessarium aliquid agere, sed solum non agere, ut quando tentatio est contra præceptum negativum: ergo tunc neque generalis concursus necessarius est: ergo multo minus erit necessarium speciale auxilium.

8.
Vera sententia & communis.

Nihilominus dicendum est, ad vincendas graves tentationes, & vnamquamque earum, necessarium esse speciale gratiæ auxilium, liberum namque arbitrium illo destitutum sine dubio succumbet. Ex antiquis Theologis pauci sunt, qui assertionem hanc

distinctè explicaverint, aut asseruerint, illam tamen satis indicat Bonavent. in 2. distinct. 28. art. 2. quæst. 2. & ibi Aureol. quæst. vnic. artic. 2. Vega clarius & fusius quæst. 12. de iustificat. & sequentibus, Soto lib. 1. de Grat. cap. 21. ad 2. Medina 1. 2. quæst. 10. artic. 3. & quæst. 109. artic. 2. ad 4. Bellarm. lib. 5. de iustificat. cap. 5. & 7. Valentia 2. part. disputat. 8. & iam est inter Theologos hæc sententia communiter recepta. Vt aut distinctè, & sine æquivocatione probetur, advertere oportet, varijs modis posse nos loqui de vna, seu de singulis tentationibus. Primò de singulis in specie, ut de tentatione concupiscentiæ, avaritiæ, &c. Et in hoc sensu est conclusio longè certior, ut sentiunt aucthores allegati. Quia de tentatione contra castitatem id affirmant, & colligunt ex Sapient. 8. Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit, iuxta expositionem Augustini, qui vult, ibi esse sermonem de castitate, & de dono gratiæ, lib. de Continent. cap. 1. & epist. 89. 95. & 130. Et magis fauet illud ad Roman. 7. Quis me liberabit à corpore mortis huius? Præterea de rectitudine, vel peccato linguæ idem colligitur ex Iacobo cap. 3. dicente, Linguam nemo hominum domare potest, ut expendit Paulus Orof. lib. de Liber. arbit. & tradit Augustinus lib. de Natur. & Grat. cap. 15. & 16. Potest etiam dici vna tentatio quasi collectivè, quæ in vno certamine posita est. Quomodo Prosper contra Callator. cap. 32. & sequentibus loquitur de tentatione Iob tanquam de vna, & gravissimè, & merito reprehendit Cassianum, quod victoriam illius tentationis nudo libero arbitrio tribueret. Sic de vna tentatione loquendo, certissima est assertio, quia illa reuera non est vna tantum, sed collectio plurium, de qua re in ca. sequenti dicuri sumus.

Proprie igitur vna tentatio dicitur, quæ determinatè, & in individuo vna, seu cōtinua est, & in hoc sensu intelligitur assertio, quia non solum ad integram victoriam eius cum spiritali fructu, & merito, sed etiam ad resistendam, & carentiam lapsus, auxilium gratiæ Dei necessarium est. Quæ assertio non potest quidem ex Scriptura, vel Patribus efficaciter probari, quia omnia, quæ in illius confirmationem adduci possunt, in his, quæ in præcedenti capite pro sententia priori allata sunt, continentur, & responsiones, quas de levis tentationibus dedimus, ad graves etiam applicari possunt. Nam Patres sæpè semper generatim loquuntur. Unde sicut ad leves tentationes requirunt gratiam, ut cum fructu vincantur, ita etiam dici potest de gravibus: vel sicut in illis loquuntur de victoria integra, quæ hominem servet non tantum ab hoc, vel illo peccato, sed simpliciter à peccato, ita de gravibus dici potest, ut latius, & discurrendo per aliqua testimonia prosequitur Molina in dicta disput. 19. membr. 5.

Nihilominus duo possunt in prædictis testimonijs ponderari, quæ non parum fauent huic sententiæ. Vnum est testimonium illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id, quod potestis, nam inde intulit Chrysostomus homil. 24. asselliquas tentationes, quæ ferri non possunt, utique sine auxilio, & ope Dei: ergo hoc maxime dictum est propter graves tentationes. Hæc posterior consequentia nota est. Prior verò, quam intulit Chrysostomus probatur, quia si Deus pateretur, seu permetteret, gravius tentaretur homo, quam posset sustinere; ergo remota speciali providentia Dei, tentatio potest esse tam gravis, ut non possit homo sua facultate sola illi resistere. Quod si quis obijciat, cum Paulus dicit ultra id, quod potestis, non intelligere de potestate per solum liberum arbitrium, sed per gratiam adiutum, iuxta doctrinam Prosperi contra Collator. cap. 35. hinc fortius sumitur argumentum. Quia si aliqua tentatio potest esse tam gravis, ut liberum arbitrium etiam adiutum aliquo minori auxilio gratiæ, non possit illam sustinere, nisi amplius iuvetur, à fortiori poterit aliqua tentatio, etiam minus gravis superare vi-

tes liberi arbitrij gratia destituti. Aliiter verò dici potest, Paulum non loqui de determinatē de vna, & eadem tentatione, sed simpliciter dicere, *Non patietur vos tentari*, vtique tot tentationibus, & tam continuis, vt sit vltra id, quod potestis. Sed licet hæc expositio probabilis sit, nihilominus magis respexisse videtur Paulus ad acerbitatē tentationis, præmiserat enim, *tentatio vos non apprehendat* (vel apprehendit) *nisi humana*, id est parua; ergo huic opponit tentationem, quæ est supra id, quod homo potest. Et de hac præcipuè intelligi potest oratio Dominica, *Ne nos inducas in tentationem*, per illam enim non tam petimus, vt non tentemur, quam vt non destituamur gratia necessaria, vt à tentatione non superemur, & sic etiam dixit Christus, *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*. Ex quibus locis, & ex alijs supra citatis valdè probabiliter colligitur esse aliquem modum tentationis etiam vnicæ, & singularis, quam sine auxilio gratiæ euadere non possumus iuxta illud Psal. 7. *In te respiciat à tentatione*.

11. *Secundò potest in loquutionibus Conciliorum, & Sanctorum ponderari, quòd interdum sunt vniuersales negatiuè de omnibus, & singulis tentationibus, vt est illud Theophyl. 1. ad Cor. 14. Quamuis tentatio vires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis, ubi Oecumen. Quamuis tentatio vos euet tereat, nisi Christus auxiliaretur. Vt omittam similes locutiones Augustini, Prosperij, imò & Pontificum, & Conciliorum supra relatas, quas necesse est, saltem de grauioribus tentationibus intelligi. Nam si quælibet tentatio grauis posset sine gratia sola libertate vinci, profectò neque in rigore, neque moraliter tales locutiones absolutam veritatem continerent. Accedit, quod Chrysostom. dicta Homil. 24. de humanis tentationibus dixit, non facile posse vinci sine gratia, per humanas intelligens leuiiores; ergo de grauioribus intellexit simpliciter vinci non posse abique gratia. Et Cyrillus dicto libro nono, in Ioan. capite 45. de auriōribus tentationibus loquutus est, cum dixit, non posse euitare sine gratia. Denique Patres scribentes contra Pelagium ita exaggerant fragilitatem hominis lapsi ad cauenda peccata, vt interdum dicant, nihil in hoc posse, aliibi verò parum posse: resistere autem graui tentationi, ita vt homo non peccet, nec nihil profectò, nec parum est. Ergo ex mente Sanctorum Patrum non est tanta fortitudo, seu potestas in libero arbitrio hominis lapsi.*

12. *Rationem verò ab inconuenienti aliqui sumunt ex eo, quòd si in vincendis tentationibus nullè determinatè occurrerent, quæ propter grauitatem suam per liberum arbitrium vinci non possent, nulla esset etiam multitudo tentationum, etiam confusæ, seu collectiue sumptæ, quam non posset homo sua libertate effugere absque peccato, & ita posset homo longo tempore seruare totam legem naturæ, & cauere omnia peccata illi cōtraria sola libertate sine auxilio gratiæ, quod iuxta sanam doctrinam admitti nullo modo potest, vt infra videbimus. Sequela probatur, quia in tota collectione non includuntur, nisi singule tentationes, & non occurrunt simul, sed successiuè, & victoria primæ tentationis non aufert libertatem circa secundam; imò nec minuit, sed potiùs auget potestatem, quia primus actus bonus inclinatur ad secundum, & ideo vterius procedi potest à secunda tentatione ad tertiam, & sic vsq; ad vltimam. Idem argumentum fieri potest de temporis duratione, & facile applicari potest.*

13. *Hæc vera ratio, licet in forma argumentandi habeat apparentem difficultatem, tamen reuera est inualida, vt in Dialogis contra Pelagianos sæpe inculcat Hieronymus, & exemplis potest breuiter declarari, quia leues tentationes ligillatim vincere possumus, & tamen totum cumulum earum per longum tempus non possumus ita superare, vt non interdum leuiter cadamus. Vnde certum est, non posse nos sine*

auxilio gratiæ vitare diu omnia peccata venialia collectiue, etiam deliberata: imò nec cum generali gratia, nisi specialior detur: & nihilominus singula per se sumpta vitare possumus, vel per libertatem in materia naturali, vel per commune adiutorium gratiæ in quacunq; materia. Illa ergo consequentia in materia morali defectuosa est, quia difficultas collectionis habet diuersam rationem, vt infra explicabo, & intelligi potest ex verbis Christi Domini Matt. 18. *Necessè est, vt veniant scandala*, quod verum est, licet nullum scandalum in particulari de necessitate veniat, sed libere: est ergo in illo obiecto confuso quidam necessitatis modus, etiamli in nullo singulari actu inueniatur. Et similiter dixit Luc. c. 17. *Impossibile est, vt non veniant scandala*, quod de nullo singulari dici poterat. Ita ergo in singulari responderi posset.

Sed instant secundo, quia impossibilitas illius generis tantum est quædam difficultas moralis, quæ si non reperiatur cum eadem impossibilitate in aliquibus actibus singularibus, nunquam dabitur in tota collectione, seu multitudine tentationum: ergo vt sit impossibile resistere omnibus tentationibus sine gratia, oportet, vt sit eodem modo impossibile resistere alicui, vel aliquibus tentationibus certis, ac definitis: ergo maxime hoc dicendum est de grauioribus tentationibus. Assumptum declaratur, & probatur, quia gratia non datur ad illud obiectum confusum, neq; ad collectionem, nisi in quantum datur ad hunc, vel illum actum in particulari: ergo nunquam datur vt necessaria ad tale obiectum confusum, nisi fateamur dari actus in particulari, quos liberum arbitrium per se, & sine gratia præstare non potest: ergo illi maxime sunt, quando tentationes graues occurrunt etiam sigillatim sumptæ.

Verumtamen prior illatio patitur eundem defectum, quem prior obiectio, & eisdem exemplis euer-
15. *ti potest. Nam etiam est impossibile vincere tentationes omnes leues collectiue, seu vitare simpliciter peccatum, seu innocentiam vitæ constanter seruare sine gratia, etiamli in discursu illius temporis nō occurrat grauis tentatio determinata, propter quæ gratiæ auxilium necessarium sit. Ergo non recte probatur ex illo principio necessitas gratiæ ad singulas tentationes graues. Et ratio à priori est, quia seclufa difficultate grauis tentationis particularis in ipsa perseuerantia bene viuendi, & constanter vincendi omnes tentationes ordinarias, & frequenter occurrentes, quas leues appellamus, est quædam moralis impossibilitas, propter quam superandam est necessarium speciale gratiæ auxilium, vt cap. sequenti videbimus, ideoq; necessitas ad singulas graues tentationes per se non colligitur ex necessitate ad omnes simul, licet fortasse per quandam proportionem explicari debeat, vt dicemus.*

Vt ergo rationem propriam assertionis explicemus, prius declarare necesse est, quæ sit hæc gratia, i. punctum
16. *quam dicimus esse necessariam. Deinde verò, quæ sit, ad solidam & vnde oriatur necessitas illius, & inde facile constabit, quomodo hæc necessitas non obstat naturali libertati. Primum ergo supponimus, hanc gratiam non debere cogitari, qualem illam ponebat Gregorius ad bonos actus, seu ad omnes tentationes vincendas, quia rationes supra factæ necessitatem talis motionis vniuersaliter improbant. Deinde statuimus, hanc gratiam non esse necessariam per modum principij phyfici, & per se concurrentis ad efficiendum actum, quo vincenda est tentatio, hoc enim etiam probant rationes factæ in superiori capite. quia actus ille ordinis est naturalis, & non includit in obiecto aliquid, quod per se, & phylice excedat naturalem facultatem voluntatis. Vnde etiam fit, ad hunc effectum non esse necessariam gratiam habituale, seu sanctificantem. Probatur, quia nec ex natura rei, ac per se necessaria est, quia habitus gratiæ operatiuii soli sunt necessarij ad actus supernaturales quoad substantiam, ordinationem.*

stantiam eliciendos, ut postea videbimus. Nec etiam est necessaria gratia sanctificans ex aliqua ordinatione diuina; qua statuerit non dare simile auxilium ad vincendam grauem temptationem homini in peccato existenti. De tali enim lege diuina non constat, neque aliquo indicio, aut autoritate ostendi potest, nec est verisimilis; quia multa alia beneficia gratiæ confert Deus peccatoribus: & frequenter supponunt Theologi disputantes de martyrio, posse hominem existere in peccato resistere tyranno cogenti illum negare fidem, quæ grauis tentatio est. Item quia aliàs, quoties homo vinceret temptationem grauem, posset scire se esse in gratia tam certo, quam certus fuerit de resistentia temptationis sine peccato. Denique incredibile est, peccatorem non posse vincere temptationem grauem, nisi prius iustificetur: cum possit interdum facere aliquem actum difficilem virtutis, ut dare vitam pro patria ex honestate, & pietate naturali.

17. *Non tamen sufficit extrinseca Diuina prouidentia.* Nihilominus tamen addo vltius, hanc gratiam non sufficienter explicari per prouidentiam extrinsecam antecedentem, qua Deus non permittit temptationem esse maiorem. Quia iam supponitur tentatio esse grauis; ergo licet Deus præstiterit, hominem fuisse vincendum à grauiori, & ideo illam non permittit; nihilominus si præsentem temptationem vincit sine alio adiutorio gratiæ, iam illa victoria tribuitur soli libero arbitrio, & ita planè sequitur liberum arbitrium solis suis viribus naturalibus vincere temptationem grauem. Quod maximè cernitur in grauitate temptationis quasi intensiua: nam grauitas quasi extensiua, quæ ex duratione accrescit, optimè potest à Deo præueniri, non permittendo hominem diutius tentari, tunc vero si per durationem non peruenit ad statum grauis temptationis, in hac sola negatione gratia illa consistit: non erit tamen proprium auxilium ad vincendam grauem temptationem. Quia ut supra dicebam, victoria propria est in resistentia, quæ fit supposita tanta, & tali temptatione. Vnde cum Calsian. collation. 13. capite 14. de Iob. dixerit, vicisse temptationem sua libertate, & nihilominus addiderit, gratiam non in totum illi defuisse, explicauitque illam gratiam per hoc solum, quod Deus non permittit, eum temptatione plus vrgeri, quam ab eo prouiderit propria virtute potuisse superari: in hoc grauius reprehenditur à Prospero contra Collator. capite 35. quod victoriam tribuisset soli libertati, & ideo ait, verius dictum fuisse, Deum non permisisse, temptationem crescere vltra virtutem, quam ipse ad vincendam illam dederat.

18. *Nec sola cogitatio excitationis naturaliter.* Hinc præterea addo, non satis explicari hanc gratiam per solam cogitationem congruam, si talis sit cogitatio, quæ per externam obiectorum propositionem mere naturalem, id est, cum solo concursu, & generali prouidentia Dei comparari possit, siue talis cogitatio omnino libertatis vsu anteuertat, & ex sola extrinseca prouidentia adueniat, siue aliqua ex parte libera sit, quia nimirum ad illam consummandam, & perficiendam potuit voluntas applicare intellectum, & cum effectu applicuit. Probatur primò ex supra dictis, quia illa cogitatio reuera non est gratia, & ita si illa sufficit ad vincendam temptationem grauem, sine gratia vincitur, atque ita veritas de necessitate gratiæ ad hunc effectum, quando illo solo nomine defenditur, potius eluditur, quam defendatur. Deinde suppositis, quæ diximus, esse euidentis argumentum, quia eadem cogitatio necessaria est ad vincendas minimas tentationes; ergo nulla est differentia, & consequenter ex parte Dei non esset necessarium maius adiutorium ad vincendas graues, quam ad vincendas leues tentationes, quod est contra sententiam omnium, qui specialiter requirunt gratiam ad vincendas graues tentationes. Vnde et multi Theologi talem constituunt differentiam moralem, & notandam, quod in leui temptatione non tenetur homo ex præcepto ad orandum, & petendum auxilium, in

grauia autem temptatione tenetur; ergo aliquid amplius ex parte Dei requiritur.

Denique hoc etiam conuincit exemplum positum de Iob, nam Calsianus fatebatur, illum habuisse cogitationem congruam ex diuina prouidentia, quam ipse gratiam appellabat, quod patet, quia dicebat, non fuisse permissum tentari vltra quam vincere poterat, scilicet, efficaciter, & cum effectu, sicut fecit, & sicut Deus præstebat futurum. Et nihilominus ex sententia Prosperi, non gratia, sed viribus liberi arbitrij tribuebat victoriam, & ideo Prosper illam quidem prouidentiam requirit ad gratiam efficacem, ita tamen ut supponat vires datas à Deo, & non solam libertatem. Loquutus autem sum de cogitatione merè naturali, quæ per causas naturales excitari, vel per propriam hominis industriam comparari possit, tum quia de hac tantum procedunt rationes factæ, & omnia superius dicta; tum etiam quia si Deus peculiari modo excitet mentem plus quam naturaliter possit, ut hoc modo det vires sufficientes ad vincendam temptationem, iam illa cogitatio non est merè naturalis, sed præter, vel supra naturam, & sic esse poterit vera gratia. Et nihilominus de tali cogitatione non rectè dicitur dare vires ad vincendam temptationem, quia est congrua: nam potest dare has vires, & non esse congrua, sed tantum sufficiens, multi enim non resistunt graui temptationi, qui possent resistere, etiam per vires gratiæ sufficientis. Et quantum verum sit, nunquam de facto vinci temptationem, nisi quando illa cogitatio congrua est, hoc tamen non est intelligendum de congruitate, quæ consistit in sola conformitate ad vsu liberum futurum, sed de congruitate, quæ prouenit ex illa peculiari motione, vel excitatione, quam Deus addit vltra causas naturales, à quo habet illa cogitatio, ut sit speciale gratiæ auxilium, licet etiam fuerit speciale beneficium dare illud in eo gradu, & modo, quo præstatur habiturum effectum, & conformitatem cum futuro vsu libertatis.

19. *Autem probatur exemplum.* Dico ergo, hanc gratiam consistere in aliqua interna motione Dei aliquo modo supernaturali, qua iuuat imbecillitatem nostram, ut tali temptationi valeamus resistere. Nam quæ hæcenus diximus, hoc saltem necessarium esse ostendunt, ut sit verum auxilium gratiæ. Quod autem hoc sufficiat probatur à sufficienti partium enumeratione, nam suppositis, quæ diximus, nihil aliud superest, quod esse possit. Deinde ita loquuntur Episcopi Africani in epistola 95. Augustini ad Innocent. & Innocentius in Rescript. & Celestin. in epist. 1. ad Episcop. Galliarum ad finem, & in vniuersum hoc vocant Concilia adiutorium Dei, quod per internas illuminationes, & inspirationes datur, ut declarat August. lib. 2. de Peccatorum meritis & remissionibus. cap. 17. & alijs locis supra allegatis. *Quid mirum?* Est ergo hæc motio, ut hic breuiter dicam, vel illuminatio intellectus, quæ melius, & fortius representatur obiectum, quam per communem cursum causarum possit, vel motus aliquis voluntatis, quo Deus facit suam illam resistentiam, vel terret ab illo malo, ut Augustin. dixit in hom. 24. ex 50. Dixi autem motionem dari debere aliquo modo supernaturalem, quia ad effectum, de quo tractamus, non semper est necesse, ut sit supernaturalis in entitate sua, quia effectus non est adeò excellens. Sufficit ergo, ut modo supernaturali conferatur, consistit autem ille modus in hoc, quod talis, actanta consideratio, vel affectio, aut inordinatio in tali occasione, & puncto fieri non posset per communem cursum naturalium causarum, vel per humanam industriam eius, qui temptationem patitur, comparari. Et ideo illa motio habet veram rationem gratiæ, præsertim si detur in ordine ad finem supernaturalem, sicut nunc datur.

20. *Quomodo probatur?* Sed statim occurrit secundum punctum propositum. Nam licet per se satis notum sit, hoc genus motionis diuinæ esse possibile, & vtilissimum, quod autem sit necessarium, & videtur cum naturali libertate per-

Cap. XXIV. Vtr. ad vincendas singulas graues tentationes contra legē, &c. 311

Placitum
Baii in hoc
puncto.

Explicatur

22.
Ergo Baij

Contra al
lucratione
non est im
pugnata.

23.
Arbitrium
viam sine
gratia libere
poteat.

te pugnare, & alioqui nulla sufficiens ratio tanta ne-
cessitatis apparet. Duo igitur extrema in hac neces-
sitate explicanda inuenio. Primum est eorum, qui di-
cunt hanc necessitatem provenire ex absoluta impo-
tentia liberi arbitrij ad resistendum tali tentationi in
quocumque puncto, & momento vigeat. Ita fuit opi-
natus Michael Baius, qui consequenter asseribat, de-
ficiente spiritu gratiæ necessitari voluntatem ad cō-
sentiendum tali tentationi. Soletq; pro hac sententia
referri Gregorius in 1. distinctione 1. questione 2. ar-
ticulo 2. ad tertiam quandam probationem. Sed ille
loquitur de motibus doloris, aut tristitiæ, qui per
modum passionum excitantur in voluntate ex noti-
cia obiecti nocui præsentis, non verò loquitur de li-
bero consensu volendi, vel nolendi. Refertur etiam
Medin. 1. 2. quæst. 10. artic. 3. in hnc. Sed ille non dicit,
aliquando passionem vehementem inferre neces-
sitatem voluntati, vt consentiat, vel dissentiat absolu-
tè, sed ait esse posse tam vehementem passionem, vt
sit necessarium auxilium speciale ad vincendam il-
lam, quod longè diuersum est. Ideoq; absolutè dicit,
assertionem ibi à D. Thoma positam esse de fide, scilicet,
nullam passionem quantumvis vehementem
necessitare voluntatem, si iudicium rationis non ab-
sorbeat. Vnde nullum inuenio auctorem catholicū,
qui aperte dixerit, grauem tentationem necessitare
voluntatem ad actum peccati. Neq; vllō modo id su-
stineri potest, tum quia nullum obiectum creatum
necessitare potest voluntatem, si ratio vigilare pos-
sit, quia semper inuenire potest rationem nolendi il-
lud; tum etiam quia licet tentatio sit grauis, si homo
consentiat, peccat; ergo signum est, non necessitari.

Respondet Baius negando consequentiam, quia
homo culpa sua incidit in illam necessitatem, & ita
intelligit, necessitatem peccandi esse per originale
contractam, vt interdu loquitur Augustinus lib. de
Perf. iustitiæ rationem. 9. cap. 4. & lib. 7. de Natur.
& grat. cap. 22. & 28. & simili modo loquitur Prosper
lib. 3. de Vita contemplat. cap. 2. & contra Collator.
cap. 19. in diuerso tamen sensu. Illa itaque sententia
grauem continet errorem, videlicet posse esse pecca-
tum, quod necessariū sit, hoc enim consequenter ille
auctor concedebat; damnatur autem à Pontificibus
Gregorio XIII. & Pio V. in Bulla contra illum. Item
sequitur ex illa sententia, motus primos concupi-
scentiæ esse peccata, etiam non consentiente volun-
tate; quod ille concedebat, quia licet necessarij sint,
ex peccato Adæ trahunt originem. Illud autem in
Concilio Tridentino sessione 6. & à dictis Pontifici-
bus damnatum est, & à Theologis antea reiectum
cum Augustino dicente lib. de duabus animab. capit.
12. Peccatum tenet reus aliquem, quia non fecit, quod facere
non potuit, summa iniquitas, & insanis est. Et lib. Re-
tract. cap. 9. Malum, quod casu non potest, peccatum non
est. Neque satis est, quod illa impotentia fuerit per
originale contracta. Quia si illa talis est, vt in præsen-
ti tempore, & occasione tollat libertatem actus, qui
nunc sine libertate sit, non potest esse nouum pecca-
tum, id est (vt tollatur quæstio de nomine) non po-
test imputari ad nouam culpam propter præceden-
tem actum, vt ex materia de Peccatis nunc suppono,
& ex sententia Augustini 22. contra Faust. cap. 44. di-
cente. Qui in ebrietate committit incestum, culpandum es-
se, non quantum in incestus, sed quantum ebrietas meretur,
consideratis vtique omnibus circumstantijs, quibus
commissa est. At verò in præsentī quando homo la-
psus consentit alicui tentationi, nouum peccatum
committit: & nouam poenam meretur: imputatur
ergo ex præsentī libertate, non ex præterita, quæ in
Adamo fuit, alioqui non esset peccatum, sed poena
peccati.

Oportet ergo hanc impotentiam voluntatis ad
resistendum tentationi graui talem esse, vt libertatē
ad peccandum non excludat etiam si liberum arbitri-
um omni auxilio gratiæ destituatur, quod est in tota

hac disputatione præ oculis habendum, ne in æqui-
uoco laboretur, & difficultates eludantur potius,
quàm soluantur. Et ideo non rectè defenditur liber-
tas in hac materia naturali, etiam vrgente tentatio-
ne, per hoc, quod voluntas potest consentire tenta-
tionis suæ libertate, & resistere per auxilium gratiæ,
quia per hoc non saluatur libertas naturalis, posita
tentatione. Nam si necessaria est gratia, vt potentia
in illa occasione maneat libera ad dissentiendum: er-
go remota gratia, & posita tentatione, non erit vo-
luntas libera ad dissentiendum: ergo necessitabitur
quoad exercitium. Item tunc remoto auxilio gratiæ
non peccaret voluntas consentiendo tentationi, quia
necessitaretur omnino ad consensum, & ita auxilium
gratiæ non esset necessarium ad non peccandum:
imò talis auxilij denegatio certior esset peccati excu-
satio. Hæc autem omnia sunt contra intentionem
Pauli, & Sanctorum Patrum dicentium, legem sine
gratia augere potius peccatum, quàm tollere, vel im-
pedire, vt in argumentis primæ sententiæ diceba-
mus. Vnde nullo modo negari debet, quin homo cō-
sentiendo tali tentationi peccet iuxta materiæ quali-
tatem, quamuis cum solo concursu generali relin-
quatur, quia simpliciter liberè cedit tentationi, cum
tentatio non necessitet voluntatem, quamdiū iudi-
cium rationis non absorbet, vt est communis Theo-
logorum consensus cum D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 2. & 3.
& est sententia Anselmi loco supra citato, & illam er-
iam probant Augustini testimonia adducta in prioris
sententiæ confirmationem. Eodemq; modo ait lib. de
Spirit. & Liter. cap. 31. non obitante extrinseca vi, aut
suaione, esse in potestate voluntatis facere, & non fa-
cere. Idem q. 24. in Numer. Ita ergo defendenda est
necessitas gratiæ ad vincendam grauem tentationem,
vt ante gratiam supponatur vera libertas ad peccan-
dum, ideoq; dum liberum arbitrium tentatione vin-
citur, peccare, licet absit gratiæ auxilium. Et hic re-
uera est sensus Patrum, alioqui non satis contradice-
rent Pelagio, nec postularent auxilium ad non peccan-
dum, sed vt non necessitet voluntas. Quod etiam
fatis probant omnia, quæ adduximus.

Hinc ergo dixerunt alij, hanc necessitatem gratiæ
ad vincendam tentationem grauem non esse impo-
tentiam antecedentem in voluntate, sed consequen-
tem, & coexistentem in Dei præsentia, id est, indige-
re voluntatē tali auxilio, non quia absolutè non pos-
set tentationem vincere, sed quia adeò debilis est ad
præstandum id, quod potest, vt Deus præstet, nō esse
id facturam, nisi iuuetur, quæ est necessitas, vel im-
possibilitas consequens. Vel vt alij loquuntur, non est
necessitas, quæ opponatur intrinsece insufficientiæ
ad resistendum, sed efficacæ actualis resistentiæ, quia
licet liberum arbitrium sufficiat, de facto non est id
effecturum, nisi Deus auxilio gratiæ illi subueniat, &
quia hoc præstuit Deus, ideo in eius præsentia au-
xilium illud necessarium est. Atq; hoc modo dicunt,
liberum arbitrium non posse sine tali auxilio tenta-
tionem vincere.

Hæc verò sententia dum studet in concordiam re-
digere libertatē arbitrij cum hac necessitate, reuera
destruit assertionem positam, quam ipsamet certam
esse asserit. Probatur assumptum, quia ex illo respon-
so sequitur, liberum arbitrium per se, & sine gratia
sufficere simpliciter ad vincendam tentationem gra-
uem: ergo simpliciter potest, siue sit effecturum, siue
non, quia potestas solū dicit principium sufficiens.
Sicut homo habens auxiliū gratiæ sufficiens, simplici-
ter potest, licet nō habeat efficaciam. Sic illa necessitas iux-
ta hanc sententiam nō excludit sufficientiā; ergo est
principium sufficiens in solo libero arbitrio ad vincen-
dam grauem tentationem, antequā intelligatur ha-
bere auxilium gratiæ: ergo est simpliciter potens.
Consequens aut est contra assertionem, in qua nō de
actu tantum, sed de potestate tractamus. Est etiam
contra Concilia, & Patres contententes contra Pela-
gium,

gium, liberum arbitrium ad resistendum tentationibus, ita ut non peccet, nihil, vel parum possit.

26. *Reijciatur a.* Præterea est in illo modo explicandi hanc impotentiam alia difficultas, quia si liberum arbitrium simpliciter est potens, & antecedenter nullo modo est impotens ad vincendam tentationem sine auxilio gratiæ absq[ue] fundamento dicitur nunquam id facturum, & Deum ita præscire, & consequenter gratis, & sine fundamento ponitur illa impossibilitas consequens. Probat[ur] assumptum, quia si principium est simpliciter sufficiens ad talem effectum absq[ue] gratia; ergo simpliciter possibile est, & contingens, ex tali causa prodire talem effectum; ergo etiam potuit contingere, ut Deus præsciuerit voluntatem in tali occasione suæ libertati relictam non fuisse cōsensuram pro sua libertate, quæ ad hoc erat sufficiens; ergo necessitas illa non est vniuersalis, neq[ue] vlla ratione, vel fundamento ostendi potest, infallibile esse, ut nunquam cōtingat oppositum; ergo, nec est necessarium, ut Deus præsciat, nunquam illam sufficientiam transtuturam esse in efficaciam ex sola libertate voluntatis, si reuera illi nudè sumptæ nō deest potestas sufficiens ad illi vsu.

27. *Enasio de cogitatione cōgrua reijci-* Hic verò occurrunt authores ponentes hanc gratiam in sola cogitatione congrua, & habente cōgruitatem ex sola præscientia, propter futurum effectum, quam supra etiam congruitatem tantum consequentem appellauimus. Occurrunt (inquam) & fatentur, posse quidem cōtingere, ut liberum arbitrium restitutum sit in aliqua occasione per vires solius liberi arbitrii honesta aliqua cogitatione naturali excitati, & tunc id præscire Deum. Et nihilominus resistentiam illam non fieri sine gratia, quia iam illa cogitatio est congrua, & gratis datur. Veruntamen iā reuoluimur in id, quod sæpè dictum est, hoc modo defendi gratiā nomine, non re, neq[ue] secundum mentem Patrum, sed magis Calsiani, & sequacium, quia illa cogitatio sola, si est merò naturalis, & ex generali cursu causarum, non est gratia, sed doctrina congrua, & consequenter si cū illa sola potest cū effectu vinci tentatio, licet hoc Deus præsciat, profectò scit vincendam esse viribus naturæ, non gratiæ. Sicut Prosper dixit contra Calsianū. Si verò cogitatio illa aliquid amplius habet ex specia- li adiutorio Dei, ruit responsio, nam huius gratiæ necessitas inquiritur. Et præterea habet hic locum argumentum supra factum, quod hæc præscientia etiā in minimis tentationibus, & in quocunq[ue] bono actu habet locum, & ita nulla differentia inter graues, & leues tentationes constituitur, nisi fortè, quòd frequē- tius id contingit in leuibus, quàm in grauib[us], quod pertinet ad maiorem, vel minorem difficultatem, nō ad maiorem impotentiam. Item est simile argumen- tum, quod non solum in statu naturæ lapsæ, sed etiam in natura integra, imò & in natura Angelica habet locum illa præscientia, & consequenter illa ne- cessitas, seu impotentia; nihil ergo erit peculiare quo- ad hoc in homine lapsō, quod dici non pōt iuxta do- ctrinam Augustini lib. de Corrept. & grat. c. 11. & 12. & iuxta ea, quæ dicemus cap. sequenti.

28. *Decisio au-* Dico ergo necessitatem diuini auxilij ad vincēdas *thorū in di-* tētationes graues in natura lapsa provenire ex aliqua *stio puncto 2.* impotentia liberi arbitrii in tali statu constituti. Quæ quidem non est impotentia physica ad volendum, vel nolendum, contra tentationem, seu ad continen- dum actum volendi, quem tētatio extorquere cona- tur. Aliàs tentatio tolleretur libertatem, & induceret necessitatem quoad exercitium, durante iudicio ra- tionis, quod est impossibile, & contra dogma receptū in Theologia. Est ergo illa impotentia moralis, id est, debilitas quædam mentis, & voluntatis ad cōstanter operandum, proueniens radicaliter ex peccato origi- nali, & proximè ex tribus defectibus infirmitate, & ignorantia, & capriuitate relictis ex peccato. Nam ap- petitus vehementer inclinatur ad sensibilia, quæ ex se fortius & facilius mouent, tanquā magis propinqua & proportionata sensui. Intellectus verò suis viribus

relictus vix consequitur, & remissè, ac tardè confide- rat superiores rationes, quibus voluntas mouēda est ad tentationem sine peccato superandam. Quibus duobus impedimentis adiungitur instigatio dæmo- nis, cui fortasse ratione lapsus humanæ nature, maior quædam licentia in homines data est. Ex his ergo om- nibus præsertim simul sumptis, quando grauitet vrgent, oritur in homine quædam impotentia resis- tendi constanter tentationi, nisi à superiori iuuetur. Ita rem hanc explicat Bellarm. lib. 5. de Grat. & liber. arbitr. cap. 5. ad 3. in prima solut. quæ sine dubio me- lior est. Sic sentit Vega dicta q. 12. & in eadem dicit Molina.

Estque consentaneum antiquis Patribus, qui & li- bertatem ad non peccandum vrgente tentatione in voluntate etiam carente spiritu gratiæ admittunt, & præ- potentiam impotentiam resistendi simul illi tribuunt, ut constat ex locis Chrysost. & Prosperi supra adductis. Et in hac debilitate ex peccato originali contracta fundantur, quoties dicunt si Deus in tentatione hominem defe- rat, necessariò ruere, ut ex Innocentio supra retuli, & idem habet Gregorius in P. Palm. 3. Pœnitent. in fine. Item non solum in homine destituito gratia, sed etiā in minus adiuto, quàm grauitas tentationis requi- rat, eandem impotentiam agnoscunt, ut ex Prospero cap. 35. contra Collator. supra notauimus, & sumitur ex illo dogmate, quòd etiam homo iustificatus non potest cum communi auxilio constanter resistere tē- tationibus præsertim grauib[us]. Quod tradit Cœle- stinus dicta Epist. cap. 6. ubi licet indefinītè loquatur de tentationibus, tamen indicat in singulis saltē gra- uibus esse auxilium necessarium, & idē quodidianū requiri, effectq[ue] postulandum, sicut in oratione Domi- nica petitur.

Cōtra hanc verò explicationem obstat, quia quod non est physicè impossibile, sed tantum moraliter, nō est simpliciter impossibile, sed potius difficile, vnde contingere potest, contrarium interdum euenire. Ita enim Aristotel. 1. de Cœlo cap. 11. distinxit impossi- bile dupliciter dici, aut quia fieri non potest, aut quia non facile, nec citò, nec benè fieri potest. Illud autem dicitur impossibile priori modo alicui causæ, quod in eius potentia physica non continetur. Quando ergo talis potentia non deest, licet dicatur moraliter im- possibile, reuera solum est difficile, & idēd oppositum interdum euenire non simpliciter repugnat: ergo si impotentia voluntatis ad vincendam tentationem grauem solum est moralis, solum est difficultas quæ- dam. Quod quidem coactus vi argumenti videretur fateri Anselmus lib. de Liber. arbitr. cap. 6. & libro de Concordia. p. vlt. versus finem. At verò hoc nullate- nus videtur concedendum, quia inde sequitur, ali- quando posse totam aliquam tentationem grauem vincere, ita ut homo non peccet, sed integrè seruet præ- ceptum sine auxilio gratiæ: sequitur etiam, gratiam non esse necessariam simpliciter, ut possit vinci ten- tatio, sed ut facilius possit: vtrumque autem videtur accedere ad Pelagianum errorem, effectq[ue] parum con- sentaneum Concilijs, & Patribus damnantibus Pela- gium. Quamuis enim non expresse loquantur de sin- gulis, & determinatis tentationibus etiam grauib[us], nihilominus si omnia, quæ dicunt attentè considerē- tur, illas etiam includi censent sub impotentia liberi arbitrii lapsi ad vincendas tentationes.

Dico ergo etiam in latitudine impotentia moralis aliquid esse posse de obiecto simpliciter impossibili, id est, quod nunquā cōtingat, à tali causa sibi permis- sa euenire. Vnde non semper impossibile physicè, & moraliter in hoc distinguuntur, quòd illud nunquā euenit, hoc aut interdum accidere contingit, sed for- malis differentia in præfenti materia est, quia ad pri- mum impossibile non est in agente potentia physica: ad posterius aut impossibile nō deest physica potētia, & nihilominus effectus, seu obiectum tot potest esse difficultatibus affectum, ut nunquam fiat à tali po- tentia

tentia vniformiter, & sine defectu, nisi vel potentia iuuetur, vel difficultates tollantur. Et quando tale est hoc impossibile, vt nunquam à tali causa sic affecta eueniat, dicitur simpliciter impossibile respectu illius, quia absoluta possibilitas non dicitur respectu causæ physicæ nuda sumptæ, sed vt spectata cum circumstantiis, sine quibus nunquam ita operabitur.

32. *Exemplum*
declarat.
Possumus exemplis rem hanc declarare. Primum sit supra positum, quia iuxta Christi sententiam impossibile est, quin scandala aliquando eueniant. Cum autem scandalum non detur, nisi per actionem liberam, & peccaminosam, vt verba à Christo subiuncta declarant, *Vt autem homini illi, per quem scandalum venit, sit, vt non desit potentia physica ad vitandum quodlibet scandalum; ergo necessitas illa, per quam veniunt scandala, & impotentia illi opposita est tantum moralis, & nihilominus talis est, vt nunquam deficiat.* Hierony. etiam in epist. ad Ctesiphontem, illud censet esse simpliciter impossibile, cuius oppositum nunquam euenit, etiam si per actus physice posibles, & liberos euitari posset, vt est hominem nunquam peccare. Quod reperit Hieron. lib. 3. contra Pelagian. parum à principio, exemplis, & confirmat, dicens. *Hoc & nos dicimus posse hominem non peccare, si velit. Ecce physicam potentiam, de morali vero impotentia subiungit. Pro tempore, pro loco, pro imbecillitate, &c. Vique ad illud. Sic humana conditio, si paululum remisit, dicit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. Ecce impossibilitatem moralem, de qua iterum in fine cum dixisset, in nostra esse potestate peccare, vel non peccare, ad bonum, vel malum extendere manum, subdit. Nec quia ad breue possum, vtique etiam moraliter, coges me, vt possum iugiter, vtique moraliter. Possum ieiunare, vigilare, &c. Nunquid in perpetuum? Sic ergo multa absolute, seu indefinite sumpta sunt simpliciter impossibilia, non quia desint causæ physicae, à quibus provenire possunt, sed quia nunquam à talibus causis integre, vt sic dicam, & totaliter eueniunt propter inconstantias earum, vel impedimenta, quæ in vna, vel alia occasione non desunt. Sicut etiam non desit in manu potentia physica, vt describendo circulum, perfectum illum faciat, nunquam tamen ita illum perficit, nec est possibile simpliciter loquendo, quin in vna, vel alia parte deficiat: item non est impossibile physice loquendo, sepius iactatus talis, seu testis, eosdem semper numeros reddere, seu eandem figuram, est tamen moraliter impossibile simpliciter, id est, quod nunquam ita contingat, quia conditio rei contingentis, & fortuitæ id non patitur.*

33. *Applicatio*
exempli.
Ad hunc ergo modum dicimus, esse moraliter impossibile vincere tentationem grauem sola libertate in hoc statu naturæ lapsæ, quia licet libertas non desit, etiam si gratia deserat hominem, nihilominus ita impotens est ad resistendum graui tentationi, vt non contingat constanter & sine peccato id facere. Quod imprimis colligimus ex testimonijs adductis, nam hæc doctrina maiori ex parte auctoritate niti-
34. *Longius ta-*
men poten-
tiam mora-
lem resis-
ti superat.
tur. Deinde accedit experientia, & cõmunis omnium fidelium sensus. Quis enim est, qui in seipso non experitur, quam facile tentationibus succumbat, præsertim grauib. si suis viribus relinquatur? Aut quis est, qui adeo de se presumat, vt in tentatione graui, si illam vincere cupit, non statim ad Deum recurat, & auxilium tanquam sibi necessarium ad resistendum postulet? Denique potest ratione declarari, quia licet voluntas libera sit, pendet tamen multum in vsu libertatis ex consideratione, & attentione intellectus, & ex inferioris appetitus affectione, quæ multum mouet, & post se trahit voluntatem, & hinc fit, vt vrgente tentatione, & homine sibi relicto, vel intellectu non satis applicet, vt attendat, & consideret, sicut moraliter necessarium est ad resistendum, vel certe vt licet aliquando attendat, non multum in eo iudicio insit, sed tepide se gerat, propter impetum passionis, & aliquando potest tanta esse passio, vt et-

Pars I.

iam contra actuale dictamen rationis voluntas eligat. Grauis autem tentatio omnibus his modis solet vrgere, & ideo si insit, infallibiliter hominem gratia non adiutum deiciet.

Explicabiturque hoc facilius, & melius, si attendamus, omnem tentationem grauem includere aliquam temporis moram, & perseverantiam, nam si vno tantum momento temporis tentatio daret, non est imbutur simpliciter grauis, quantumvis intensa videatur, dummodo potestatem, & physicam, & moralem considerandi, & deliberandi relinquit. Nam si hanc potestatem auferat, vel perturbando vsu rationis, vel omnino præueniendo eius aduertentiam, vel saltem impediendo perfectam deliberationem, & moralem potestatem illam habendi: in his casibus non poterit quidem voluntas tentationi resistere, contra illam actu absoluto nitendo, verum in hoc, vel nihil peccabit, vel saltem non grauitur, quia sine potestate morali deliberandi, motus voluntatis non potest esse peccatū mortale, sed vel erit motus primus, si nulla adsit aduertentia, nec potestas deliberandi, & ita nullum erit peccatum, vel ad summum erit motus secundus primus, & culpa venialis, si aliqua aduertentia rationis intercedat sine potestate morali sufficienter aduertendi, & deliberandi. In præsentem autem agimus de tentatione, quæ relinquit sufficientem aduertentiam rationis ad plene deliberandum, si homo velit mentem applicare, & de huiusmodi tentatione dicimus, tollere potestatem moralem illi resistendi sola libertate, sine auxilio gratiæ, quamuis non tollat libertatem ad non consentiendum pro quolibet determinato instanti illius temporis, in quo tentatio durat, quandoquidem in quocunque momento homo consentiat, grauitur peccat, vt ostensum est. Et ideo talis tentatio non tollit potestatem physicam, vel moralem pro singulis instantibus, quia in nullo illorum necessitatur voluntas quoad exercitium, vt est etiam probatum. Nec impotentia moralis potest spectari respectu alicuius instantis determinati, tum quia nulla est proprietas in voluntate, vnde illa impotentia proveniat pro singulis instantibus per se consideratis, tum etiam, quia aliàs in tali casu auxilio gratiæ destituta non peccaret mortaliter cedendo tentationi, quia ad peccandum mortaliter necessaria est potentia moralis vitandi peccatum, saltem pro eo tempore, vel momento, in quo peccatur, quia debet actus esse humanus.

At vero respectu totius tentationis, licet potentia physica non desit, nihilominus de potentia morali est longe diuersa ratio, quia liberum arbitrium naturæ suæ est valde mutabile, & ideo tentatio, & passio contraria faciunt, ne perseveranter possit attendere quantum oportet ad resistendum. Atque hæc necessitas sufficit, vt simpliciter non possit homo totam illam tentationem vincere. Atque hunc modum explicandi hanc impotentiam colligo ex Basil. Homil. *Quod sine diuina gratia resistere Satana nemo possit*, quæ habetur post librum de Baptismo, vbi in principio sic ait. *Frustra inflati putant libero se arbitrio peccati occasiones inanire posse, quod per solum crucis mysterium cassatur. Liberum enim illud, quod in potestate hominis est, arbitrium, in eo situm est, vt velit, vel noluit resistere diabolo non enim vt omnino hoc possis potentiam habes, quæ affectionibus carnis dominetur. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, &c. quod late prosequitur semper ostendens impossibilitatem hanc consistere in constantia, & perseverantia resistendi. Hoc videntur sensisse omnes Theologi, qui asserunt, posse hominem seruare vi libertatis quocunque præceptum legis naturæ, & vitare peccatum illi contrarium ad breue tempus, licet non omnia, neque longo tempore, & loquuti sunt indistincte, siue tempore tentationis, siue extra tentationem vrgentem, quia ratio libertatis, in qua nitentur, eque procedit in omnibus peccatis in particulari sumpris in vtroque tempore. Sed est valde considerandum,*

D d

vnum

vnum tempus esse breue, quando non est tentatio vehemens, quod erit longum ad perseuerandum, interueniente forti tentatione, & ideo licet modico tempore, vel pro certis instantibus possit arbitrium resistere, nihilominus si tentatio ita duret, vt simpliciter aestimari possit grauis, non poterit liberum arbitrium sine gratiæ auxilio illi simpliciter, & sine lapsu resistere, quod in sequentibus capitulis tractando de multitudine præceptorum, & de dilectione Dei amplius explicandum est.

36. *Ad opposita sententia m. 1. hores nu. 1. 2. 3. Error opposita sententia.*

Tandem ex his non erit difficile ad ea, quæ in fauorem contrariæ sententiæ adduximus, respondere. Nam ex authoribus, qui pro illa allegantur, illi valde errarunt, qui absolute asseruerunt, posse hominem lapsum viuere longo tempore sine peccato mortali, contra legem naturalem solis viribus liberi arbitrij, contra quos c. 20. disputauimus. Illi vero, qui dixerunt, posse hominem vincere tentationem grauem sine gratia, loquuti sunt de tentatione graui intensiue (vt sic dicam) nulla alia duratione in ea spectata, quam nos simpliciter grauem non reputamus, vel loquuti sunt comparatione tantum facta ad singula momenta determinate sumpta, non vero de victoria totius tentationis simpliciter, & absolute, vt clarius, quam alij, Molina declarauit. Anselmus autem, si atente legantur, quæ in vtroque loco dicit, loquitur de libero arbitrio, non nudo, sed vt adiuto per gratiam ad operandum bonum, & ideo nihil ad præsentem causam facit.

37. *Solutio rationis oppositæ in n. 4. confirmatio in n. 5.*

Ad rationem autem principalem respondetur, eam solum probare, etiam secluso auxilio gratiæ, manere liberum arbitrium ad non peccandum tempore tentationis, non tamen probat, habere etiam potestatem ad constanter, & strenue dimicandum toto tentationis tempore, Et hoc etiam solum probant tres confirmationes ibi adductæ, & quæ in illis citantur. Solum quod in fine tertie confirmationis dicitur de homine existente in gratia habituali declaratione indiget, nam in illo etiam est libertas contra tentationem, non tamen moralis potestas pro graui tentatione, nisi actualiter iuuetur, vt infra tractabitur. Quomodo autem hæc impotentia moralis non repugnet libertati, iam declaratum est, quia non consideratur respectu determinati effectus, vel momenti, pro quo necessitur voluntas, sed absolute respectu totius tentationis confuse sumptæ, cum tamen libertas non confuse, sed in puncto definito exerceatur. Vnde hæc impotentia non est per determinationem potentiæ ad vnum, quæ opponitur libertati, sed per inconstantiam, & infirmitatem operantis, quæ non libertati, sed constantiæ, & fortitudini opponitur.

38. *Solutio 4.*

Ad vltimam confirmationem respondetur negando consequentiam, est enim valde diuersa ratio inter motiua sensibilia, & humana, quæ interdum homo sibi proponit ad toleranda alia mala, vel superandas difficultates propter talia bona vel obtinenda, vel conseruanda, & ea motiua, quæ idem homo suo discursu, & sine iuuamine gratiæ ad vincendam tentationem inducentem ad peccatum, potest efficaciter considerare, & sibi proponere. Quam differentiam notauit August. lib. de Patientia cap. 17. cum enim in 16. eandem obiectionem fecisset, respondit. Quia hæc dicunt, non intelligunt, & quemque iniquorum tanto esse ad quacunque mala perseueranda duriores, quanto in eo maior est cupiditas mundi, & quæq; iustorum tanto esse ad quacunque mala perseueranda fortiores, quanto in eo maior est charitas Dei. Sed cupiditas mundi inuitum habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex incuria voluntatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis: charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, &c. Et hinc infert, patientiam mundi esse ex nobis, patientiam vero iustorum esse ex Deo. Et inde sumptus videtur canon. 17. Concilij Arausiaci, 2. Fortitudinem gentium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum charitas Dei facit, &c. Sic ergo nos dicimus, victoriam tentationis, vel

alicuius mali propter aliud temporale bonum posse esse ex nobis, quia cupiditas illius boni ex nobis incipit, & humana consuetudine radicatur, victoriam autem tentationis solum propter non peccandum, non posse esse ex nobis, quia affectus ille non peccandi non potest esse in nobis perfectus, & efficax, nisi ex Spiritu Sancto.

Dicit forte aliquis, licet affectus efficax non peccandi simpliciter, non possit esse nisi ex charitate, nihilominus, affectum non peccandi in hac occasione, & hoc genere peccati esse posse absque charitate, & absque alio motiui supernaturali ex solo affectu alicuius naturalis virtutis, vt castitatis, vel iustitiæ, qui potest à nobis esse, sicut dictum est de bono actu naturali; ergo quoad hoc procedit obiectio, & discrimen non assignatur. Respondeo, etiam in hoc versari cum proportionem discrimen positum, quia affectio voluntatis ad temporalia, & sensibilia bona propter humanum commodum incipit à cupiditate sensibili, & fit suauis ex dilectione etiam sensibili, & ideo facile firmatur consuetudine, nam, vt dixit idem Augustinus eodem libro cap. 24. Quando voluntas suauis cupiditate rapitur, quanto inuidius estimat, quod habere, vel conseruare cupit, tanto tolerabilius perfert, quod nimis sibi est ad perseuerandum, quam aliud ad patiendum. Quicquid enim (inquit) illud est, ex creatura est, cuius nota voluptas est, quodammodo enim familiari contactu, atque connexu ad experendam eius suauitatem adiacet amanti creatura amata creatura. Et prosequitur in cap. 25. dicens, Voluntas autem creatoris, de qua scriptum est. Et torrente voluptatis tue potabis eos aliterius generis est, &c. Idem ergo nos dicimus de voluntate vitandi peccatum in graui tentatione ex affectu honestatis, nam talis affectio non incipit ex sensu, nec voluntas honestatis sensu percipitur, imo ordinarie sensui repugnat, & ideo rara est talis affectio ex vi solius naturæ, & nõ firmatur consuetudine, nec fit suauis sine interuentu auxilij gratiæ, ac proinde per se non sufficit ad vincendam grauem tentationem sine eiusdem gratiæ auxilio. Et hanc rationem indicauit sæpe August. vt videre licet libr. 2. de Peccator. merit. cap. 17. & lib. 2. contra duas epist. Pelagian. capitulo nono, & de Spirit. & liter. capit. tertio.

Denique ad exemplum de hæretico, qui mortem sustinet pro aliqua veritate fidei, quam suo modo credit, respondeo, etiam si fortasse id faciat ex libertate sua absq; auxilio gratiæ, nullum inde argumentum sumi ad eum, qui cum sit catholicus, martyrium sustinet pro eadem veritate. Alioqui illo argumento probaretur, non solum posse liberum arbitrium sine gratia vincere tentationem grauem contra præceptum naturale, sed etiam contra præceptum supernaturale, quod Pelagianum est. Est autem clarum discrimen, nam hæreticus ita moritur pro veritate fidei, quam credit, sicut pro suo errore, & ita non suffert mortem pro veritate catholica, vt catholica est, sed vt ab ipsa creditur propter aliqua humana motiua, vel propter pertinaciam in proprio iudicio, quod præfert alijs humanis incommodis, etiam morti propter firmatam consuetudinem, etiam prauam ex parte modi, licet ex parte materiæ contingat, non esse malam. Catholicus autem quando pro vna veritate moritur, virtute totam fidem catholicam proficitur, quia non potest id facere sine firmo affectu supernaturali ad catholicam veritatem. Et ideo hic fere versatur idem discrimen, quod proxime ex Augustino notatum est. Vnde addimus, si contingat, hæreticum ex aliquo pio affectu ad Deum, vel ad aliquam rem diuinam mori pro aliqua veritate fidei, quam credit, etiam illud non facere sine auxilio speciali gratiæ, quia & illud habere potest, licet sit hæreticus, & ille affectus concipi non potest ex sola ratione, & libertate humana. Et sic dixit August. libr. de Patient. capit. 27. Si hæreticus credat, qui negauerit Christum, æterno supplicio esse puniendum, & pro ista fide

Cap. XXV. Vtr. homo in statu naturæ integræ totam legem seruare, &c. 315

fide supplicium perferat, bene agere, ac *proinde*, ait, *negandum non est hoc esse donum Dei*. Quale autem sit hoc donum non declarat, sed solum ait, *Intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Hierusalem que sursum libera est, mater nostra, in quo significat, non esse auxilium supernaturalis ordinis, licet sit supra communem cursum naturæ, & ex speciali prouidentia datur.*

47. *Solutio de neque quantum ad argumentum Rubrica.*
Ad ultimam confirmationem in primis nego, posse aliquam tentationem grauem, etiam contra præceptum negatiuum vinci sine actu positio voluntatis volentis non facere id, ad quod tentatio inducit, tum quia probabile est, non posse dari puram omissionem perfecte voluntariam sine actu positio, quod saltem moraliter verum est, tum maxime, quia tempore grauis tentationis, si voluntas nolit superari, necesse est, vt aliquid faciat, vel directe se se opponendo tentationi per affectum contrarium, vel recurrendo ad Deum per orationem, vel applicando intellectum ad sanctas cogitationes, quæ contineant affectum, ne tentationi consentiat. Alioquin si voluntas tunc veluti dormitaret, & nihil ageret, eo ipso videretur se morali periculo exponere, & consequenter peccaret. Præterquam quod videtur plane impossibile habere, tunc firmum affectum resistendi, & non consentiendi, & nullo modo illum explicare, aut exercere. Igitur talis resistentia non sit sine auxilio generali, & ita cessat obiectio. Secundo responderi potest, dando, vel permittendo antecedens, nimirum, quod voluntas possit resistere solum non agendo, quo posito, necessario sequitur, vt possit resistere sine concursu generali requisito ad volendum, vel positum uolendum, quia ad non agendum, vt sic, non est necessarius concursus generalis: nam potius ad non agendum necessaria est carentia actualis concursus, cum ille nihil aliud sit, quam eadem actio, vt à Deo procedens. Hoc ergo permisso, adhuc neganda est consequentia, quia auxilium speciale necessarium ad vincendam tentationem, est antecedens, seu præueniens voluntatem, vt non consentiat. Vnde si voluntas non consentiat, positum uolendo non operari, tunc speciale auxilium ad non consentiendum prius datur, quam concursus generalis ad illam voluntatem, ideoque licet fingamus, voluntatem contineri per puram suspensionem actus, adhuc necesse est, vt præcedat auxilium speciale, quod absolute datur ad confortandum hominem, ne consentiat, quocunque modo id facere, seu non facere possit, aut debeat. Illud autem auxilium potest esse sine concursu, aut per aliam negationem, scilicet, non permittendo vt tentatio crescat, vel etiam per positum actionem ex parte intellectus, immitendo efficacem aliquam considerationem, quæ contineat voluntatem, vel in voluntate ipsa immitendo timorem, vel quid simile, quod non sit proprius actus humanus, sed quasi passio quædam immixta à Deo apta ad continendam voluntatem, quocunque modo consensum suum contineat.

CAPVT XXV.

Vtrum homo in statu naturæ integræ totam naturæ legem in quacunque occasione, & omni tempore sine auxilio gratiæ seruare, omniaque graui peccata vitare potuisset?

48. *Quæstio 1. solutio.*
Supponimus quæstionem esse de lege mere naturali, & de modo implendi illam consentaneo rationi tantum naturali, vt excludamus omnem modum supernaturalem, qualis est, implere ex charitate, vel meritorie, vel alio simili: in modo autem illo, quem naturalem vocamus, includimus, non solum

Pars I.

agere bona, sed etiam bene moraliter ex circumstantijs ex eadem lege naturæ ad honestatem actus necessarijs. Vnde non tractamus de victoria tentationum perfecta, & fructuosa ad vitam æternam, sed solum de sufficienti ad non peccandum, quam alij resistentiam appellant. Sic igitur tria in titulo quæstionis includimus scilicet, facere, quæ lex naturalis iubet, & non peccare contra illam longo tempore, & omnes tentationes illo tempore occurrentes vincere. Quia vero hæc videntur inuoluere perseverantiam, est consequenter aduertendum, nunc non esse sermonem de perseverantia in gratia, neque de dono ad hoc requisito, sed solum de perseverantia in honestate naturali. Et quia hæc quæstio in omnibus statibus naturæ humanæ locum habet, & in singulis habet proprias difficultates, sigillatim de illis tractatur;

2. *Negatiua opinio.*
Igitur de homine in natura integræ dixerunt aliqui, non potuisse longo tempore vitare omnia peccata contra legem naturæ sine superaddito auxilio gratiæ. Solet pro hac sententia referri Gregorius in 2. dist. 29. quæst. 1. art. primo, tamen si attentè legatur in fine conclusionis secundæ, respondendo ad obiectionem incidentem, & conclus. 3. aperte docet contrarium. Dicit enim in illo statu non fuisse illam motionem necessariam, quam in homine lapsus posuerat in distinct. 28. Addit vero indiguisse gratia habituali hominem in illo statu, etiam ad seruandam legem naturæ. Quod potest habere sensum bonum, vt infra dicam. Refertur etiam Abulensis in c. 19. Matth. q. 178. tamen, vt supra dixi, ille ambigue vtitur nomine gratiæ actualis, & potius videtur in sententiam extreme contrariam inclinare, vt de homine lapsus dicam. Proprie ergo sententiam hanc videtur docere Capreolus in secund. distinct. 29. q. 1. art. 1. conclus. 3. & 4. respondendo ad argumenta contraria, & Hispanensis ibid. art. 3. notab. 6. Qui hanc gratiam in illo statu explicare videntur per specialem inspirationem, & illuminationem, non per physicam motionem supra impugnata. Hos authores imitari profitentur aliqui Moderni, sed re vera solum in voce cum illis conueniunt, quia tantum requirunt congruam cognitionem, alioquin mere naturalem.

3. *Eius 1. fundamentum.*
Fundamentum huius sententiæ præcipue sumitur ex Concilio Arausico. cap. 19. dicente, etiam in statu innocentie indiguisse hominem gratia ad perseverandum. Idem supponit Gelasius Papa in Scripto contra Pelagian. hæretum, quod habetur tomo primo, Epistol. Pontifici inter Epistol. 5. & 6. Gelasij, ubi sic inquit, *In ipsis primis hominibus, dum sua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod vique nusquam fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec vt eadem intemerata durarent, simpliciter implorando, in columas constare nequeunt.* Idem tradit Augustinus epistol. 106. & libro de Correptis & grat. cap. 11. & sequent. & lib. de Natur. & grat. c. 48. quod etiam sentit Prosper contr. Collator. cap. 18. dicens, tale recepit Adam liberum arbitrium, vt si auxiliante sibi Dominum non deferret posset in bonis, quæ naturaliter acceperat perseverare, quia vellet, ubi auxiliante Dominum requirit. Imo in hoc etiam loquendi modo Faustus imitatus est Augustinum lib. 1. de Grat. & liber. arbitr. cap. 1.

4. *Secundum.*
Secundo quia alijs potuisset Adam vincere tentationem serpentis suo libero arbitrio absque auxilio gratiæ; consequens est falsum; ergo. Sequela probatur, quia præceptum illud naturale erat, id est de actu, vel potius omissione, & abstinentia mere naturali. Minor colligitur ex Gelasio Papa in loco allegato quatenus dicit, fuisse Adamo necessariam orationem ad vincendam illam tentationem, & ideo cecidisse, quia de se confusus ad Deum non recurrit. Eandem gratiam postulat August. in Enchirid. cap. 106. & epistol. 106. & 14. de Ciuit. c. 27. Et simili modo loquitur de casu Angelorum lib. 12. cap. 9.

Dd 2

Tertio,